ſub titulo gratiarum agendarum, boni principes,
quae facerent, recognoſcerent; mali, quae facere
2 deberent. Id nunc eo magis ſollemne ac neceſſa-
rium eſt, quod parens noſter priuatas gratiarum
actiones cohibet et comprimit: interceſſurus etiam
publicis, ſi permitteret ſibi vetare, quod Senatus
3 iuberet. Vtrumque, Caeſar Auguſte, moderate,
et quod alibi tibi gratias agi non ſinis, et quod hic
ſinis. Non enim a te ipſo tibi, ſed agentibus ha-

poſuit *quo*; idque Lipſius et Liuineius, nuper etiam Geſner. et Schwarz. amplexi ſunt. Poſtea Schwarzius cognouit et in Suppl. indicauit, eandem lectionem exſtare in Mſſ. Vaticc. *qua placuit* foret, quo conſtitutum eſt. At verbis ſeqq. non exprimere voluit verba SCti, ſed ex ſua perſona conſilium oſtendere, quod Senatores in illo SCto faciendo ſpectaſſe credibile ſit. Itaque *quod* vtique praeſtat tam τῷ *quo*, quam τῷ *cui*, quod ex Cod. Guelpherb. qui corrupte *qui* habet, coniectando exſculpſerunt Schwarz. et Arnzenius, ille etiam poſt in Cod. Salisb. diſerte exaratum reperit, atque in Suppl. caeteris lectionibus praefert. Neminem autem, opinor, offendet *placuit* abſolute poſitum, cum centies ita occurrat. Cic. ad Diu. I, 2. *poſtridie placuit, vt breuiter ſententias diceremus.*

Sollemne, ab omnibus Coſſ. nouis obſeruandum. Iam Geſner. et Schwarz. monuerunt, *intercedere* et *vetare*, verba Tribuniciae poteſtatis, commode hic adhibita, cum eam habuerit Imperat. *iubere*. v. ad I, 2. et cf. LXXVIII, 1.

3. *Vtrumque — — neceſſe eſt.* Fluxit hic loc. ex inepto omnia laudandi pruritu, et ex argutiarum ſtudio; melius igitur abeſſet. Et multum negotii interpretibus fecit vera eius lectio. Schwarz. in Obſeruatt. et in Suppl. male ſe torquet, vt defendat lect. vulg. *ab agentibus*. Videamus locum integrum. *Moderate* agit, qui ſibi imperat et modum in omnibus rebus ſeruat. Traianus ergo, cum priuatas gratiarum actiones comprimit, moderate agit; non enim captat laudes: idem cum publicas, a Senatu decretas, permittit, *moderate* rurſus agit, non enim vult ſuperbe vetare, quod Senatus iubet, et aduerſari affectibus eius. Si igitur rem vere ſpectes, honor ille habetur non Caeſari, ſed *agentibus* per Cos. Patribus, quorum decretum non dedignatur ille. Recte igitur Mſſ. Schwarz. omiſit praepoſit. *ab*, eumque merito ſecutus eſt Geſnerus. Si tuemur vulg. lect. *ab agentibus*, Plinius nihil dixit; etenim etiam in priuatis gratiarum actionibus honor ille *ab agentibus* Caeſari habetur. Sed etiam *a te ipſo* offendit. Schwarz. coni. *a te ipſi tibi*. Hoc eſt aliquid, placuitque Geſnero. Ego vero ſuaſerim, *non enim re ipſa tibi* etc.